



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BEROLINENSIS*** PROVINCIA ECCLESIASTICA BEROLINENSIS CONSTITUITUR Certiori christifidelium commodo spiritali consulere contententes Sacrorum Antistites, quorum intererat ipsorum, audita prius Episcoporum Germaniae Conferentia, ab hac Nostra postulaverunt Sede Apostolica vehementer ut fines dioecesium Berolinensis et Dresdensis-Misnensis necnon Administrationis Apostolicae Gorlicensis ad haec usque tempora Sanctae Sedi recta subiecti in novam transformarentur provinciam ecclesiasticam, sede in urbe Berolinensi collocata, atque eiusdem nominis ipsa Ecclesia ad dignitatem honoremque proveheretur metropolitanae Ecclesiae. Excepta ante sententia secunda Venerabilis Fratris Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis simulque in Germania Nuntii Apostolici auditoque Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis consilio preces illas ad Nos admotas, quippe quas saluti hominum aeternae plurimum profuturas arbitremur, benigne excipiendas esse iudicamus. Quapropter e potestatis Nostrae plenitudine, secundum iuris conventi regulam haec statuimus quae subsequuntur edicimusque. Berolinensem sedem episcopalem ad condicionem attollimus metropolitanae ecclesiae cui iura et privilegia tribuimus quibus reliquae per orbem eiusdem ordinis fruuntur ecclesiasticae dictiones e iuris communis norma. Commemorata autem provincia quam novam fieri iubemus Berolinensis constabit ex ecclesia eiusdem nominis necnon Dresdensi-Misnensi dictione tunc etiam ab integro excitata dioecesi Gorlicensi. Episcopum porro Berolinensem pro tempore gradu ornamus Metropolitae iuribusque et privilegiis augemus quibus ceteri in terris catholicis Metropolitae sacrorum ad canonum legem perfruuntur at oneribus quoque et obligationibus obstringimus quibus iidem Antistites vincuntur. Berolinensem nunc ipsum Ordinarium Venerabilem Fratrem Nostrum Georgium Maximilianum S.R.E. Cardinalem Sterzinsky ad statum promovemus Metropolitae cui iura addimus ac privilegia cuncta quae reliquis pariter sunt per orbem Metropolitae dum officiis similiter obligationibusque nectimus quibus illi item obstringuntur. Ad singula denique haec consilia exsequenda Nostra superius iam commemoratum Venerabilem Fratrem Ludovicum Kada destinamus, necessarias et opportunas concedentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere adiuncto ad Congregationem pro Episcopis quam primum fieri licuerit germanum exemplar actus illius peractae executionis pervehendi. Has demum Litteras Nostras tam in praesens valere quam in posterum volumus tempus, nullis cuiuspiam generis obsistentibus causis, atque ratas perpetuo esse iubemus. *Datum Romae apud S. Petrum die septimo et*

*vicesimo mensis Iunii anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus
Nostrī decimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	--

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 3, pp. 217-218 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana